





6

31  
1727 26

ORDINIS IVRISCONSVLTORVM  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI  
H. T. DECANVS  
**IO. PAVLVS  
SCHRÖTER**

POTENT. POLONIAR. REGIS ET ELECTORIS SAX.  
IN SVMMO PROVOCATIONVM SENATV CONSILARIUS  
ET IVDICII PROVINCIALIS IN MARCHIONATV  
INFERIORIS LVSATIAE ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

ORDINE VIRGONIS AULATORVM  
IN  
ACADEMIA VITIBERGENSIS  
H. J. DECANVS  
I. O. PAVELAE  
SCRIBENTER  
LOGOTHECOLOPO  
MACHTONIATA  
ASSESSOR  
IZHERGARD AVES  
1784





*Q. D. B. V.*

um Nobiliss. Iurium Candidatus JO. STEPHANVS KVNERTVS disputacionem inaugurelam, cuius thema ex materia iudicij possessorii depromptum, propositurus et pro more recepto in gratiam eius officii ratione haec scriptio suscipienda est, occasio mihi nascitur de inter harum regionum Collegia iuridica, haetenus quae intercessit dissensione: *Num in possessorio summi iuramenti delatio locum habeat?* breviter differendi. Quamvis enim mihi notissimum sit, per novam & elucidatam Ordinationem Processus a Summo Legislatore nostro POTENTISSIMO REGE POLONIARVM et ELECTORE SAXONIAE non ita pridem promulgatam suae Maiestati subiectas Provincias Saxonicas

A 2

nicas

nicas quod attinet, hanc controversiam esse soppitam & in *Appendice dictae Ordin.* §. 19. non admittendam in hoc Processus genere delationem iuramenti expressis verbis sit constitutum, quam Summi Principis sanctionem merito devote et submisso veneramus. Attamen cum Collegia iuridica harum regionum extra provincias Electorales Saxonicas de iure consulti quotidie respondeant, imo & Advocati incolis terrarum vicinarum lineae Ernestinae, Ducatus Querfurtensis & Anhaltinorum Principum aliorumque Statuum Imperii patrocinia praestare soleant, ubi dispositio dictae Ordinationis vim legis non obtinet, vel etiam ubi ius Saxonum plane abrogatum, non abs re vel supervacaneum erit, quid in illis regionibus secundum principia iuris communis circa quaestionem memoratam statuendum sit? disquirere. Et quidem ius civile Romanum pro regula habet in omnibus actionibus iuris iurandi delationi locum esse l. 34. pr. ff. de iurei. l. 25. §. 3. de probat. & cum haec regula in l. 3. §. 1. ff. de iureiur. conceptis verbis eo si ex interdicto agatur sit porrecta & extra omne dubium constet in summarissimo possessorio ex interdicto retinendae possessionis: Ut possidetis agi, sane

ne aientium sententia expresso iuris textui in-  
 nixa firmo stat talo, neque ulla iuris quidem ci-  
 vilis Romani ratio extat, ob quam quae in sum-  
 marissimo possefforio sunt probanda: possesso  
 nimirum praesentanea & actus possessorii ex  
 parte actoris & turbatio ex parte rei conven-  
 ti, non debeant huius conscientiae per iuramen-  
 ti delationem committi. Etiamsi enim quidam  
 negantium teste Nob. Dno. DE BERGER in Elec.  
 proc. possessorii §. 31. probandae sententiae argu-  
 mentum ab exceptione spolii arcessant, &  
 quemadmodum super spolio, ita & super turba-  
 tione posseffionis, quod in utroque dolus argu-  
 atur, iuramenti delationem non habere locum,  
 autument; attamen iam dudum contrarium e-  
 ius, quod hic praestruitur, delationem nimirum  
 iuramenti, exulare circa exceptionem spolii, in  
 Programmate Disputationi inaugurali Dn. D.  
 Temmichii ao. 1701. praemitto a me ipso prolixo  
 est assertum ac evictum, & laudatus etiam Nob.  
 Dn. DE BERGER c.l. multis demonstrauit. Quod  
 confirmat etiam textus in alleg. l. 3. §. 1. ff. de  
 iure iur. ubi & in poenalibus actionibus, iuramen-  
 ti delationi locus relinquitur & haec tenus ma-  
 gno consensu tradunt Dd. quos excitavit B. D.  
 MENCKEN in tractat. synopt. Proc. disp. 9. §. 7.

A 3

iura-

iuramentum deferri permitti in causis & famo-  
sis ex contractu delictive, si civiliter agatur,  
unde sine dubio, quod obiter noto, PO-  
**TENTISSIMO REGI POLONIA-**  
**RVM et ELECTORI SAXONIÆ**  
circa exceptionem & actionem spolii placuit  
iuramenti delationem admittere in *Ordin.*  
*Proc. nova & elucidata tit. II. §. 3.* ubi statutum,  
Dass die exceptio Spolii auf die Art wie andere  
exceptiones peremptoriae, nach der *litis contesta-*  
*tion eingewendet und gleich denenselben ausge-*  
*föhret werden solle / adeoque quoad deductio-*  
*nem & probationem haec exceptio aliis perem-*  
*ptoriis, quas committere conscientiae adversa-*  
*rii integrum est aequiparata , circa actionem*  
*vero conceptis verbis iuramenti delatio permis-*  
*sa. Praeterea quod obvertitur ex partibus ne-*  
*gantium, in summarissimo possessorio debere sine*  
*omni prolixitate celeriter, &, ut dicunt, levato*  
*velo procedi non efficiet, ut exulare debear iura-*  
*menti delatio. Maiorem etenim continet pro-*  
*lixitatem demonstratio & contrademonstratio*  
*per testes ab utraque parte suscepta, quam qui-*  
*dem iuramenti delatio. Dum enim testes abs-*  
*que interrogatoriis secundum indolem huius*  
*Processus examinati saepius de obiecto & de*  
*actibus*

6

actibus possessoriis & turbatibus diversimode  
generaliter, indefinite & ambigue obscure &  
dubie deponunt & inter se dissident, causae  
decisio exinde difficilior redditur, & quando-  
que opus est, ut repetantur testes & curatius de-  
super examinentur, imo in locum controversum  
deducantur, quod in summarissimo possessorio  
aliquoties per sententiam iniunctum esse memi-  
ni, & succurrit in praesens responsum a Col-  
legio nostro me referente & concipiente ver-  
sus Torgaviam ad Praefectum in causa Syndici  
der Gemeinde zu Langen Reichenbach c. Mar-  
tin Girlen & Conforten Mense Mayo 1705. da-  
tum hac formula: Würde nun Kläger die von  
ihnen producirte Zeugen darüber/ daß ihre Prin-  
cipalen des Jahres vorher/ als ihnen von Beklag-  
ten die Huthung auf denen hellen Stücken vor  
Michaelis so bald die Früchte herunter ge-  
bracht/ verbothen worden/ solche hellen Stücken  
umb jetztbesagte Zeit behüthet/ Beklagte aber  
ihre Zeugen darüber/ daß sie auch besagtes Jahr  
der Kläger Vieh von denen hellen Stücken  
herunter gejaget/ oder solches gepfändet/ gebüh-  
rend abhören lassen ; So ergehet auch Klä-  
gere eingewendten Leuterung halber was recht ist.

Quae

Quae omnia per admissam iuramenti delationem evitari queunt, adeoque facili & breviori via ad decisionem causae pervenitur. Et eadem facilitate & celeritate proceditur, si iuramentum delatum referatur. Et relationi quidem solum, quoad factum possessionis & actus possessorios non vero quoad turbationem, quae in facto rei conventi proprio consistit, locus esse potest, cui tamen probationem pro exoneranda conscientia non dandum esse mea quidem sententia arbitror, cum ea neque iuri communi, uti solide deduxit B. D. MENCKEN in *Synoptic. tract. processus disput.* 10. §. 1. neque cum ordinaria probatio sit & interrogatoria generalia admittantur processui summarissimi possessorii conveniat & cum iactura temporis & prolixitate sit coniuncta adeoque merito eius usus circumscribendus. Restant igitur praeiudicia, quibus negantes suam sententiam adstruere nituntur. Verum nec in his adversus expressam legis dispositionem multum praesidii invenient. RIVINVS ad *Ord. Proc. Elect. Sax.* tit. 21. enunc. 34. duo eorum adducit unum summi Provocationum Senatus alterum Collegii nostri, prius vero quod attinet, ipse loquitur eo non esse admissum iusurandum super vitio clandestinitatis & prevaricatio, unde non evincitur super ipsa possessione momen-

6

momentanea eiusve turbatione non esse locum  
iuramenti delationis adeoque nostrae senten-  
tiae nihil adversum pronunciatum est, quae  
qualitatem conditionem & vitia possessionis eo-  
rumque probationem in summarissimo non cu-  
rat nec considerat, sed simplicem possessionem  
etiam vi clam & precario quaesitam admittit.  
*Nob. Dn. DE BERGER*, in *elect. proc. possessorii*  
§. 22. nec ambigendum in altero a Collegio no-  
stro itidem super eiusmodi exceptionibus, quas  
respuuit iudicium possessorii summarissimi, ten-  
tatam iuramenti delationem esse reiectam, cum  
ex annotationibus Collegii constet illud a *Nob.*  
*Dno. DE BERGER* esse conceptum, qui, ut ex  
scriptis eius patet, semper aientem nostram te-  
nuit & praeiudiciis firmavit sententiam. *vid.*  
*supr. cit. l. §. 31. & in Oeconom. iuris lib. 4. tit. 25.*  
*§. 5. n. 14.* Et in hanc ipsam etiam transiit *B.*  
*D. MENCKEN* in *Synopt. tract. proc. disp. 9. §. 16.*  
quoad summarissimum possessorium per mo-  
dum actionis in factum, in iudicium deductum  
adiecis praeiudiciis *Facult. Iurid. Lips.* excipi-  
ens solum propter observantiam Curiae Su-  
premae *Lips.* processum inhibitivum, quamdiu  
in specie est talis, simul quando ad damno-  
rum demonstrationem & redemonstrationem

B

ventum

ventum est, delationem iuramenti admittens  
Consentit & Dn. WERNHER Vol. IV. obs. 229.  
& in supplem. ad eundem Vol. VII. pag. 642. it.  
PFANKUCH de Summariis possess. l. 2. c. 15. n. 29.  
qui tamen partibus litigantibus in summaris-  
fimo usum iuramenti delationis n. 31. disvade-  
re satagit, sed ex rationibus non satis idoneis,  
quas ad examen vocavit & solide refutavit  
Nobil. Dn. DE BERGER in Eleet. proc. possessorii  
§. 31. in fine, ita, ut aliquid addere non opus  
sit. Potius igitur id, cuius gratia haec scriptio  
suscepta est, exequendum accedimus, ut nimi-  
rum de vita & studiorum progressu Nobiliss.  
Iurium Candidati, cuius mentionem  
fecimus

**IOANNIS STEPHANI KVNERTI**  
**VITEMBERGENSIS**

quaedam commentemur, quae ipse suis ver-  
bis sequenti relatione suppeditavit.

*Natus sum Anno MDCXCVII. die XXV. Martii  
Vitembergae, Patre quidem IOANNE  
STEPHANO KVNERTO, Cive &  
pannifice, qui iam ante tres annos e vita  
discessit, Matre autem, ANNA MAR-  
GARETHA, DANIELIS RICH-  
TERI,*

6

TERI, civis Vitembergensis & pannificis  
filia natu minori. Hi parentes pro facul-  
tate sua bene me educare studuerunt non  
solum, verum etiam, re curta non obstante,  
ad discendum me propensum in proposito  
adiuvare maluerunt, quam a studiis abdu-  
cere. Hinc initio praceptorum institutio-  
ni privatorum tradidere, usque dum Sve-  
cica fieret in Saxoniam irruptio, quae for-  
tunarum fere omnium iacturam illis fecit,  
meque Dahmam, urbem Ducatus Querfur-  
tentis conferre adegit, ubi a patruis hu-  
mane exceptus & quasi adoptatus scholam  
loci illius frequentavi & sub Rectoris, B.  
PAVPITII, & Cantoris, THOMAE, qui  
iam hic Directoris Musices fungitur offi-  
cio, fidelissima disciplina ac diligentia, quam  
grato semper agnoscere animo, ita in litteris  
profeci, ut Magistratus huius civitatis bene-  
volentia admodum singulari & beneficio  
adiutus Gymnasium Regio - Electorale, quod  
Grimmae est, Anno M DCC IX adire,  
locumque in eo obtinere potuerim. Nactus  
ibi sum Praeceptores omnium generibus  
scientiarum ornatos, clarissimosque,

B 2

M.

M. ERMELIVM, SCHVMACHERVM,  
EGENOLFFVM & IACOBI, quorum  
fidem, industriam & dexteritatem, quam  
per Sexennium fere expertus sum plenissi-  
me, gratus semper agnosco & collaudo.  
Ex Gymnasio autem redux in hanc Aca-  
demiam factus & Anno M DCC XV. in  
Academiae tabulas relatus hoc mibi nego-  
tii datum credidi, ut in primis Philosophiae  
cognitionem, dicendique artem acquirerem  
animum quasi ad alia addiscenda preeipa-  
rans. Hinc Virorum excellentissimorum,  
multoque celeberrimorum, BERGERI,  
HASSENII, B. STRVNZII & BECKERI  
scholas adii ac Philosophiam moralem didi-  
ci. Postea vero ad indagandos iuris fon-  
tes, eiusdemque scientiam comparandam  
tendens Illustres ac Magnificos ICtos,  
WERNHERVM, BASTINELLERVM,  
MENCKENIVM, KRAVSIVM, cui  
pro hospitio, beneficentia eximia, fide-  
que in docendo singulari nunquam me satis  
gratiarum agere, nedum referre, posse fa-  
teor ingenue, & RECHIVM, quantum po-  
tui, sedulo audivi. Apprehensa igitur le-  
gali

6

gali scientia, eam in aliorum usus vertere  
& in forum proferre me applicui, adeoque  
Anno M DCC XVII. die XXVII. Augusti  
in lyti huius Ordinis Iuridici examen mo-  
deste expetitum ac Lege Saxonica Electo-  
rali imperatum subire haud dubitavi &  
dignus iudicatus, qui ad orandas in foro  
causas admitteretur, edito specimenine con-  
suetu, a Regimine Electoratus Saxonici Il-  
lustri patrocinium aliorum suscipiendi  
copiam & potestatem per quam submisse ac  
honorifice exoravi, qua Anno MDCC XVII.  
die XXV. Septembr. clementissime data,  
advocati partes sustinui, clientumque causas  
haecenus peroravi. Ante aliquod autem be-  
bdomadas, ut & inter Iuris Candidatos reci-  
perer, & ab Illustri Ordine Iuridico summi  
in utroque iure honores mihi conferrentur,  
modeste petii, cui petitioni nihil denegauit  
Ordo laudatus, sed benignissime ad exami-  
na me admisit consueta, quibus nunc per-  
actis, nihil magis superesse videtur, quam  
ut specimen publicum edatur, quod Deus  
optimus Maximus bene vertat!

B 3

Post-

Post quam igitur in exantlatis examinibus  
eum se praestiterit qui ad ulteriora admitti o-  
mnino dignus esse unanimi Collegii nostri  
consensu censeretur, proximo die Iovis, 28. men-  
sis Augusti concedet Cathedram sub Praesidio  
Magnifici Dn. D. GODOFREDI LUDOVICI  
MENCKEN Antecessoris & Dicasteriorum, quae  
hic sunt, Assessoris celeberrimi disputationem In-  
auguralem: de petitorio possessorio nondum finito  
in Saxonia Electorali neutiquam instituendo, ha-  
biturus, cui solenni panegyri, ut interesse di-  
gnentur RECTOR ACADEMIAE MA-  
GNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COMITES,  
PERILLVSTRIS LIBER BARO PATRES CON-  
SCRIPTI & OMNES IVRIVM FAUTORES,  
est quod ab iis enixe ac officiosissime peto  
atque contendeo. Ordinis nostri nomine pol-  
licitus nihil eum intermissurum, quo de officiis  
& studiis cuique constare queat. P. P. sub Si-  
gillo Facult. Dom. XI. post Festum Tri-  
nitatis An. cIɔ lɔcc xxvii.

---

VITEMBERGAE  
LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

Wittenberg, Diss., 1727 A. 50



Sb.



B.I.G.

Black



ORDINIS IVRISCONSULTORVM  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI  
H. T. DECANVS  
**IO. PAVL VS**  
**SCHRÖTER**

POTENT. POLONIAR. REGIS ET ELECTORIS SAX.  
IN SVMMO PROVOCATIONVM SENATV CONSILIARIVS  
ET IVDICII PROVINCIALIS IN MARCHIONATV  
INFERIORIS LVSATIAE ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

31  
1727 26

6

